



De  
**rerum auguralium post legem Ogulniam  
facta mutatione**

scripsit

**Ricardus Ludovicus L. B. de Kittlitz.**

PHIL. DR.





Cum dissertatione ante hos sex annos Vratislaviae edita, quomodo augures patriciorum potentiae quondam custodes ac fautores fuissent demonstrandi periculum fecissem, nunc occasione oblata ea quae tum inchoata erant persequi et quodammodo conficere in animum induxi. Nam quum id maxime propositum mihi esset, ut quantopere patriciorum studia per augures sustentata fuissent, ostenderem, fieri non potuit, quin illud tempus fere solum respuerem quo de summo imperio inter patres et plebem certatum est, id est inde a regibus expulsis usque ad legem Ogulniam, qua plebi ad summa sacerdotia aditum factum esse constat. Restat igitur disquirere, status rerum auguralium inde a lege Ogulnia usque ad novissima liberae civitatis Romanae tempora qualis fuisse videatur.

Ac primum quidem, ut quid lege Ogulnia perlata mutatum sit perspiciamus, paullo altius repetendum est.

Nam postquam plebi perpetuo et vehementer pugnando contigit, ut ad omnes magistratus et honores viam sibi patefaceret, adeo ut dictaturam, consulatum, censuram, praeturam teneret, jam tempus venisse visum est, quo vel sacerdotia, quae nondum promiscua erant, cum ea communicarentur. Unius quidem sacerdotii non jam expertes erant, quoniam inde ab anno u. c. 388 decemviri sacrorum ex parte de plebe creati sunt, ut quinque patricii essent, quinque plebeji. Sed quamvis id ius sacerdotale haudquaquam parvi faciam, quandoquidem ab eo initium factum est, recedendi ab antiquo illo more, quo omnibus sacris publicis plebeji prohibiti fuerant, (Ambrosch Studien und Andeutungen im Gebiete des altrömischen Bodens und Kultus pag. 58. 187.) nihilominus interjecto demum spatio septuaginta fere annorum, ut ad pontificatum et auguratum aditus fieret, pervicerunt.



Atque quo insignior horum collegiorum honor fuit et auctoritas, quo latius patuit eorum potestas in republica gerenda — id quod de auguribus in dissertatione quam supra commemoravi mihi ostendisse videor — eo cupidius ipsa capita plebis, ut iis adscriberentur, optavisse consentaneum est. Etenim reliquorum sacerdotiorum, quae patres soli tenebant, ut flaminum majorum, Saliorum, regis sacrorum tanto desiderio plebis principes videlicet non capti sunt, quia ea sacerdotia nulla cum auctoritate nisi ea quae ad sacra pertineret, conjuncta erant. Cf. Liv. IV. 54. **Si ea ita sint, liberos tollendos esse, qui pulsi majorum loco cernentesque alios in possessione dignitatis suae Salli flaminesque nusquam alio, quam ad sacrificandum pro populo siue imperio ac potestatibus relinquuntur.**

Itaque patres eam rem non minus aegre passi sunt, quam cum consulatum vulgari viderent. Sed quantumvis, ne liceret, contra tenderent, impedire non poterant, quominus lex a Q. et C. Ogulnio tribunis plebis rogata a. u. c. 452 M. Valerio Corvo et Q. Apulejo Pansa coss. acciperetur. Rogationem autem promulgaverunt hanc, ut cum quatuor augures, quatuor pontifices eo tempore essent, placeretque augeri sacerdotum numerum, quatuor pontifices, quinque augures, de plebe omnes, allegerentur. Itaque ad quatuor augures patricios quinque plebeji adjecti sunt. Liv. X. 6. ibid. cap. 9.

Hac igitur lege magnum majestatis patriciae adjumentum et columnen concidit. Quid enim auctoritatis apud eos fuisse censebimus, qui usque ad id tempus Jovis O. M. soli interpretes viderentur praesertim in ea civitate, quae omnibus rebus incipiendis gerendisque deos adhibere solebat, nullius calumniae subiciens ea, quae dii comprobassent. Cf. Rubino *Untersuch. über Röm. Verfassung und Geschichte.* Cassel 1839. P. I pag. 44 n. 3.

Vulgata igitur hac disciplinae auguralis cognitione quam quadringentos fere annos soli tenuerant eaque tam diu plebis animos obstrictos habuerant, patrum potestas prorsus debilitata et fracta potest videri.

Sed quantum in hac lege patriciis incommodi fuerit ne falso augeamus opinionem, quaedam adjicienda sunt. **Eo quidem tempore quinque plebeji adjecti sunt, ut tum patricios augures numero sane superarent, sed quum lege Ogulnia non esset constitutum, ut semper quinque plebeji in collegio essent, mihi quoque persuadeo, evenire potuisse, ut augure plebejo mortuo,**

quum studium et voluntas reliquorum ad rem optimatum inclinaret, in illius locum patricius coptaretur (Grosser de spectione et nuntiatione Vrat. 1851 pag. 9.) Quae conjectura probabilior mihi fit comparanti legem Ogulniam cum legibus illis, quas C. Licinius et L. Sextius a. u. c. 379 de consulatu cum plebe communicando promulgaverunt (Liv. VI. 35). Hi enim nominatim et aperte rogaverant, **ut consulum utique alter ex plebe crearetur.** Quod cur fecerint, dilucide ipsi exponunt oratione apud plebem habita (VI. 37) Nisi imperio communicato nunquam plebem in parte pari reipublicae fore, nec esse, quod quisquam satis putet, si plebejorum **ratio** comitiis consularibus habeatur: nisi alterum consulem **utique** ex plebe fieri necesse sit, **neminem fore.** An jam memoria exisse, quum tribunos militum ideo potius, quam consules creari placuisset, ut et plebejis pateret summus honos, **quatuor et quadraginta annis** neminem ex plebe tribunum militum creatum esse? (Liv. IV. 6.) Qui crederent, duobus nunc in locis sua voluntate impartituros plebi honorem, qui octona loca tribunis militum creandis occupare soliti sint? **Lege** obtinendum esse, quod comitiis **per gratiam** nequeat. Itaque quum in rogatione tribunorum plebis Q. et C. Ogulnii non postulatum esset, ut **utique** quinque augures de plebe allegerentur, non inepte statuisse mihi videor, quod supra posui, fieri interdum potuisse, ut augurum patriciorum numerus praepolleret.

Sed quaecumque res fuit, haud dubie ipsius augurum collegii auctoritas plebejis receptis non multum deminuta est. Nam quum jus cooptandi penes collegium maneret (Merlin de cooptat. Rom. pag. 122) nominabant, legebant, inaugurabant, qui patriciis addicti essent, nobilissimos plebejos, consulares et triumphales, ut ajunt, ut si minus genere at nobilitate qui in collegio essent excellent. Quemadmodum enim inde a legibus Liciniis civitatis Romanae principatum non jam patres soli obtinuerunt, sed qui in sellis curulibus sedebant, ita in his illustribus collegiis sacerdotalibus et pontificum et augurum, clarissimis plebejis cum patriciis coalescentibus, nova exorta est nobilitas. Cujus nobilitatis fundamentum, ut plebejos in senatum receptos praeteream, jam decemviratu sacrorum inter patres et plebem distributo iactum est. Cum enim id quoque collegium cooptandi ius teneret (Liv. 40, 42.) neminem nisi qui patribus foveret unquam legisse veri simillimum est. Quod eo magis in augurum collegium cadit,

quia neminem qui cuiquam ex collegio inimicus esset, cooptare licebat (Cic. Ep. ad fam. III., 10.) Quo factum est, ut tribuni plebis qui antea quod augures patricii decreverant tam saepe criminando suspectum fecerant (Liv. VIII, 26) plane idem auguribus etiam tum probro darent, cum in collegio iam plebeji essent recepti. Nam quum augures pronunciassent, dictatorem vitio creatum esse eoque decreto prohibuissent, quominus comitia perficeret, Q. Baebius Herennius tribunus plebis hoc modo in eos invectus est (Liv. 22, 34) **id foedus inter nobiles ictum, nec finem ante belli habituros, quam consulem vere plebejum, id est hominem novum fecissent. Plebejos nobiles jam iisdem initiatos esse sacris et contemnere plebem, ex quo contemni desierint a patribus, coepisse. Cui non apparere, id actum et quaesitum esse, ut interregnum iniretur, ut in patrum potestate comitia essent.** Sed ad id mihi pro se quisque acriter intendat animum. Factum est, quod modo narravi, octogesimo fere anno, postquam lex Ogulnia perlata est. Quodsi illo jam tempore hominum nobilium ex plebe allectorum cum patriciis auguribus tam familiaris erat conjunctio, quantopere posteris temporibus eam auctam fuisse censebimus? Neque rem ita se habuisse, mirum videbitur nobiscum reputantibus, optimates, ut summa imperii apud certas quasdam familias remaneret neve ad homines novos transferretur, ubique gentium certavisse.

Quam rem ut consequerentur, Romae non minus quam alibi sacerdotiorum amplissimorum beneficio atque opera inprimis perfecerunt. Jam vero quum plebem Romanam, quantum potestatis in his collegiis inesset, fugere non posset, ad eam minuendam aut, si fieri posset, labefactandam per tribunos plebis iterum iterumque excitati sunt. Sed quoniam, ne alii viri nisi qui optimatum causae faverent multitudinique non admodum benevoli essent, reciperentur, id maxime obstabat, quod penes collegium, quem vellet, cooptandi liberum arbitrium erat, inprimis ut eo jure privaretur, studiose expetebant. Sed rituum patriorum auctoritas priscaeque religionis vis vel tum apud Romanos adeo praepollebat, ut non prius quam spatio ducentorum fere annorum interjecto voti compotes fierent. At primus quidem anno u. c. 609 C. Licinius Crassus tribunus plebis rogationem tulit, ut cooptatio collegiorum omnium ad populi arbitrium deferretur. Sed frustra. Cic. Lael. 25 §. 96. **Meministis, Q. Maximo fratre Scipionis et L. Marcino consulibus, quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii Crassi**



videbatur? cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum instituit in forum versus agere cum populo. Tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium nobis defendentibus facile vincebat.

Attamen haud ita multo post a. u. c. 650 C. Mario II. Cn. Flavio Fimbria coss. inter belli Cimbrici tumultum Cn. Domitius Ahenobarbus, quod in patris locum non cooptatus erat, pontificum et augurum collegio iratus, legem pertulit, qua his collegiis jus cooptandi adimeretur. Cf. Cic. de leg. agr. II. 1. Vell. Pat. II., 12 Suet. Nero 2. Fischer Zeit-tafeln s. a. 650. Nam quae jam antea, nescimus a quo tempore, in Pontifice Maximo creando consuetudo fuerat, ut minor pars populi ex Pontificibus eligeret suo arbitrio Pontificem Maximum, eam ad reliqua sacerdotia ita transtulit, ut liceret quidem collegio, quosdam nominare, nominatorum autem ex numero minor pars populi, id est, septendecim tribus, quem cooptari vellent, designarent. Ita, quem novem tribus creaverant, augur erat cooptandus. (Cic. in Rull. 7.) At hac lege Domitia profecto tum omnium sacerdotiorum tum augurum collegii natura tantopere mutata est, ut ex hoc tempore auctoritatis, qua antea in republica gerenda insignis fuerat, imminutio initium cepisse vere dici possit. Quamquam enim augurum collegium vel postremis temporibus imperii Romani non sine dignitate aliqua fuit, tamen et propter sacrorum contemptum et propter nobilium mores perditos et propter amissam cooptandi libertatem multum defecit a prisca sanctitate et majestate.

Sed priusquam collegii historiam usque ad extrema liberae civitatis tempora breviter percurram, ad id quod a nonnullis ambigitur, respondendum erit, num jam ante legem Domitiam augures comitiis creati sint. Movetur autem haec dubitatio loco Liviano (39. 45) ubi haec scripta sunt. **Extrema prioris anni comitia habita erant in demortui Cn. Cornelii locum auguris subficiendi.** Quum enim sermo sit de re quadam anno u. c. 568 i. e. altero et octogesimo anno ante legem Domitiam acta, quomodo auguris in comitiis creati mentio fieri potuerit, non elucet. Quamobrem Gruchius (de comit. Rom. pag. 224) id praeter morem et extra ordinem accidisse suspicatur, fortasse propter competitorum contentionem populi iudicio rem committendam fuisse. Contra Rubino l. l. pag. 336 n. 2. vult, populum idem seivisse quod in pontificibus soleret, quisnam princeps collegii esset. Sed cum prorsus

dubium sit, num re vera quis praefuerit augurum collegio, siquidem praeter locum Plutar-  
chianum (Numa VIII. τῶν μάντεων ὁ πρωτεύων) nusquam, quod sciam, collegii magister  
appareat, viro doctissimo non magis assentior, quam Goettlingio, qui, quod nemo unquam  
audivit, augurum conventui nomen fuisse „comitia augurum“ parum feliciter conjectat.  
(Geschichte der Römischen Staatsverfassung pag. 200) Merdinius l. l. pag. 132 quid iudicet,  
non plane intelligo. Etenim num quis malit cum Dracenorchio legere „post comitia habita“  
an interjungere post verba „habita erant“ ut de magistratuum comitiis Livius loquatur,  
optionem videtur dare. Sed quo jure verba scripta mutare liceat, non apparet nec ea quam  
proposuit interpungendi ratio, quae locutionem insuetam et contortam efficeret, cuiquam arri-  
debit. Neque tamen ipse certi quid habeo, quo haec res plana fiat. Veri simillimum mihi  
quidem est, T. Livium discriminis, quod inter rationem sacerdotes suffiendi ante legem  
Domitiam et post eam intercessit, memorem non fuisse. Atque ejusmodi errorem ut Livio  
imputem, eo facilius adducor, quod ille scriptor non sine negligentia quadam vocem **creandi**  
usurpat, ubi legitima non est. Nam quum verbo „**creare**“ utatur in sacerdotibus, qui sine ulla  
dubitatione nunquam a populo creati sunt, veluti rex sacrificulus (Liv. II. 6) flamen Martialis  
(Liv. 29. 38) mirum non est, quod quomodo quis in auguris mortui locum suffectus sit, non  
semper distincte narrat.

Sed quidquid hac de re iudicabimus, Ciceronis aliorumque testimonio satis constat, lege  
Domitia demum populo sacerdotes creandi potestatem factam esse. Haec autem lex Domitia  
prout aut optimates aut populares viri in republica gerenda plurimum valuerunt, nunc sub-  
lata, nunc restituta est.

Jam tertio et vicesimo anno post lege Cornelia de sacerdotiis lata a. u. c. 673 per L.  
Cornelium Sullam populus Romanus arbitrio sacerdotes creandi spoliatus est. Cf. Pseud.  
Asc. ad Cic. div. in Q. Caecil. pag. 102 (Orelli) Postea M. Tullio Cicerone consule T.  
Attius Labienus evicit, ut illud jus populo redderetur, tum a M. Antonio iterum ademptum,  
Pansa et Hirtio coss. denuo ad populum translatum, denique ab Augusto imperatore collegio  
restitutum est. Nec vero augurum numerus inde a lege Ogulnia idem mansit, sed a L.  
Cornelio Sulla collegium adeo amplificatum est, ut essent quindecim augures, quibus lege



Julia unus adjectus est, ut sedecim essent. Cf. Liv. Epit. 89. Dio Cass. XLII. 50. 51.

His propositis, ut extremis liberae civitatis Romanae temporibus quale fuerit collegium perspiciatur, restat, ut quatenus post legem Ogulniam jus augurale mutatum sit, paullo accuratius perpendamus.

Ac primum quidem monitum velim, ad comitia tributa, quae ut Dionysius Halicarnasensis certissime testatur (Antiq. Rom. IX. 41. 49.) inauspicato haberi solebant, tum jam dudum auspicia translata fuisse. De re ipsa ne dubitare liceat, efficit quod Livius (X. 47.) memoriae prodit, anno 459 exacto novos tribunos plebis magistratum iniisse iisque ipsis, quia **vitio creati** essent, quinque post dies alios suffectos esse. Sed quo tempore haec mutatio facta sit, inter viros doctos ambigitur. Nam Zonarae (Annal. VII. 15. 19.) narranti, **M. Horatio L. Valerio** coss. comitiis tributis auspicia data esse, fidem abrogare cogimur, nisi forte T. Livium (VI. 41. plebejus quidem magistratus **nullus auspicate** creatur) erroris gravissimi incusare volumus. His in tenebris quum certi quid nusquam appareat, equidem mihi persuasi, Zonaram in ratione temporum lapsam esse, mutationem autem de qua agitur haud multo ante legem Ogulniam vel illo ipso tempore factam esse. Quod conjeci his de causis, primum quod septimo demum anno postquam lex Ogulnia lata est, tribuni vitio creati commemorantur, deinde quod per Q. Publilium Philonem vis comitiorum tributorum tantopere aucta et corroborata est, ut eam honesto modo per religionem in ordinem cogere necessarium videri posset. Atque haec conjectura, quam in dissertatione mea de auguribus pot. patr. quondam cust. p. 27 proposui, viris doctis non prorsus videtur displicuisse. Etenim qui nuperrime librum de antiquitatibus Romanis conscripsit, Ludovicus Lange, plane mecum consentit (I. pag. 256). Itaque inde ab illo tempore non solum tribuni plebis, sed etiam alii magistratus plebeji vitio creati commemorantur, veluti P. Aelius Tubero et L. Laetorius aediles plebis eam ob rem magistratu se abdicaverunt (Liv. XXX. 39). Sed nescio quomodo haec juris auguralis magna mutatio in republica administranda non tantum valuit, quantum crederes, nos certe offendimur scriptorum fere omnium miro silentio. Nam et Livius praeter duos locos modo laudatos (X. 47. XXX. 39) nihil tradidit, unde certi quid ea de re depromi

posset aliisque scriptoribus res tam non nota est, ut Dionysius Halicarnassensis vel contrarium affirmet, comitia tributa usque ad suum tempus inauspicato habita esse. Unde fit, ut ne rationem quidem cognitam habeamus, qua auspicia a tribunis plebis comitia instituentibus petita sint. Sed quum comitia tributa a vinculis sacrorum haud dubie semper liberiora fuerint tribunisque plebis pariter atque aediles magistratibus quos dicunt minores adnumerari soleant, etiam auspicia minora et simpliciora hic adhibita esse quam verisimillimum est. Quae sententia adjuvatur Plutarchi testimonio, pullarium ante haec comitia habenda ad auspicandum affuisse. (Tib. Grach. 17. *ἀμα δ' ἡμέτερα παρῆν ὁ τὰς ὀρνιθίας αἰς διαμαντιέονται κομιζίων.*)

Sic res se habuit, nisi fallor, usque ad leges Aeliam et Fufiam. Quarum legum quae fuerit sententia, ut intelligamus, de usu illo vulgari „servandi de coelo“ pauca praemittenda sunt.

Jam qualis haec de coelo servandi actio fuerit, diu quidem in summam virorum doctorum controversiam vocatum est, sed qui nuperrime veterum Romanorum sacra investigare susceperunt, in eo certe quod rem ipsam continet non jam adeo inter se differunt. Nec vero ea de re hic agitur, quum augur adhibitus a magistratu, cui jus est auspiciis publice utendi, (spectio) coelum circumspicit, num silentium esse videatur, (Cic. de div. II. 34 Dionys. Hal. II. 5) sed tum tantum aliquis „de coelo servare“ dicitur, quum coelum contemplatur, num qua parte fulgur appareat. Itaque prorsus rejecta Gruchii opinione (l. l. § 591 a.) de coelo servare esse circumspiciendo observare, num qua parte coeli quid se ostendat, unde divinationem accipere possis, Rubinonem (l. l. p. 74 n. 2) sequor, cui placet, servare de coelo nihil aliud esse, nisi coelum augurii coelestis captandi causa rite contemplari. Cf. Becker-Marquardt II. 3 pag. 83. Auguria de coelo erant fulmina et tonitrua et alia visa coelestia. Quum autem ex sinistra parte fulmina prospera essent, (Cic. de div. II. 35. Festus s. v. sinistrum) praesertim cum repetita ab eadem coeli regione viderentur, (Paulus Diaconus s. v. attestata) magistratus, qui rem erat gesturus, sive in bellum proficisci sive munus inire sive aliud quid agere constituerat, ejusmodi augurium inprimis expetebat. (Grosser de spect. et nunt. p. 21.) Sed ad comitia habenda fulmen sive sinistrum apparebat sive dextrum, semper vitium habebatur, quia auguralis disciplinae antiquissimum praeceptum erat: **Jove tonante vel fulgurante cum populo agi nefas est.** (Dio. C. 38. 13. Cic. div. II. 18.)

35. al.) Itaque saepe comitia indicta ne perficerentur, tempestates prohibuerunt. (Liv. XXX. 39.) Nam quoties visum coeleste, quum comitia habebantur, sive a magistratu sive ab augure sive ab alio quolibet animadversum et nuntiatum est, toties comitia, etiamsi jam paene confecta essent, turbata et dimissa omniaque quae in iis decreta fuerant, pro irritis habita sunt (Rubino l. l. p. 75. 2.) Sed hos fines, quibus per quatuor aut quinque saecula inde ab urbe condita usus videtur circumscriptus fuisse, postea augures egressi sunt. Ex more antiquo fortasse, sed ut videtur, antiquitus minus servato praescripserunt, ut **toto illo die, quo quis de coelo servasset, comitia haberi nefas esset.** — Quod cur ita fieri oportuerit, viri docti ex augurii coelestis natura et propria vi interpretantur. Etenim auguria de coelo, quae Festus **auspicia maxima** dicit, hoc modo a reliquis discrepant, ut illa ex avibus et tripudiis capta ad unam rem pertineant — quam ob rem nil obstat, quominus **complura** ejusmodi auspicia deinceps uno die capiantur — illud vero de coelo augurium in totum diei tempus vim habeat (Rub. l. l. p. 77 seq. Marquardt l. l. p. 81.) Quo factum est, ut quum mane de coelo servatum esset, comitia hoc die nullo modo haberi liceret. Jam quum fulgurasset, causam turbatorum comitorum legem illam auguralem fuisse, nemo non videt, sed quam ob rem fulgure nullo, aut a dextro latere conspecto comitia haberi nefas fuerit, minus apparet. Nam quod dicit Rubino, signis infaustis observatis diem omnino infaustum esse factum, non recte dici, Grosserus dilucide exposuit. (l. l. p. 22.) Nec ipse tamen novam affert causam, sed id tantum significat, summa hujus augurii auctoritate factum sibi videri, ut, etiamsi non fulgurasset, **in ipsa coeli observatione** a magistratu aliquo instituta, quippe quae omnibus rebus humanis praecederet, vim quandam fuisse comitia prohibendi. Similia conjectat Odofredus Muellerus. (Die Etrusker II. p. 114.)

Sed haud scio an nunquam evenerit, ut alicui per aliquot horas auspicanti nihil accideret, quod in malam partem accipere posset. Nam augurem hoc in genere auspicandi adhibitum esse tum per se haud credibile, quia de signis interpretandis non agebatur, tum a Cicerone ipso negatur: **Jam de coelo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur?** (Cic. div. II. 35.)

Non aderat igitur, qui magistratum nuntiantem, fulmen sibi apparuisse, quod non appa-



ruerat, mendacii convinceret. Atque his quidem temporibus magistratum cuius interesset, comitorum differendorum causam aliquam probabilem habere, minime religione impeditum esse et officii sanctitate, quominus fulmen sinistrum nuntiaret, sive vidisset, sive non vidisset, eo facilius mihi persuadeo, quia jam antiquitus et augures et magistratus patricii ad plebem comprimendam piam - quam dicunt - fraudem committere minime dubitaverunt. Cf. Liv. VIII., 23. XXI. 63. Neque aliter iudicavit Cecero ipse: (de div. II., 18.) **In nostris commentariis scriptum habemus:**

**Jove tonante, fulgurante comitia populi habere nefas.**

**Hoc fortasse reipublicae causa constitutum est. Comitorum enim non habendorum causas esse voluerunt.** Itaque comitorum solum vitium est fulmen, quod idem omnibus rebus optimum auspiciam habemus, si sinistrum fuit." Marquardt. l. l. pag. 84. Quodsi igitur haec duo facta erant, ut de coelo servatum esset, deinde ut is qui comitiis praesidebat edoctus esset, esse de coelo servatum, comitia habere non potuit. Num quem post urbem conditam, inquit Cicero (in Vatin. 7.) scias tribunum plebis egisse cum plebe, cum constaret, servatum esse de coelo? Idem alio loco: te interrogante augures responderunt, cum de coelo servatum sit, cum populo agi non posse. (Cic. p. domo XV. §. 39.) Sed antequam comitia haberentur, et servatum et nuntiatum esse oportuit nec vero ipsis comitiis servare licebat, id quod verba Ciceronis extra omnem dubitationem ponunt: **Quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de coelo servare constituit? Quod neque licet comitiis per leges, et si qui servavit, non comitiis habitis, sed priusquam habeantur, debet nuntiare.** Rubino l. l. p. 79. Ceterum quis servasset, non multum intererat neque propterea, quod magistratus minor obnuntiaverat, consuli fas erat, sprete obnuntiatione habere comitia. Quamobrem Cicero interrogat Antonium consulem (Phil. II. 38) cur ea comitia non habuisti? an quia tribunus plebis sinistrum fulmen nuntiabat? Quod si vere factum esset, tum ex ipso Ciceronis iudicio comitia non habere fas fuit. Itaque in edicto consulum, quo edicunt, qui dies comitiis centuriatis futurus sit, scribitur ex vetere forma perpetua, ne quis magistratus minor de coelo servasse velit. (Gell. N. A. XIII. 15.)

Sed quod multo magis mirum potest videri: iam denuntiando, se de coelo servaturum esse, magistratus impedire poterat, ne comitia haberentur. Quum enim eo die, quo mane de coelo servatum esset, ut supra exposui, nefas esset, agere cum populo, prorsus consentaneum erat, si quando praenuntiatum esset, de coelo servatum iri, **comitia ne indici quidem potuisse**. Itaque Sextius, tribunus plebis, praescripsit, se omnes dies de coelo servaturum esse (Cic. ad Att. IV. 3.) Cf. Dio 38. 13. *ἐπεὶ οὖν πολλοὶ ἐμποδίζεῖν ἢ νόμων εἰσφορὰς ἢ ἀρχόντων καταστάσεις εἰς τὸν δῆμον ἐξαγομένους βουλόμενοι προσεπήγγελλον ὡς καὶ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὴν ἡμέραν ἐκείνην μαντευσόμενοι ὥστε μηδεμίαν ἐν αὐτῇ κέρωσιν τὸν δῆμον σχεῖν.*

Sed res habet quasdam exceptiones, ad quas viri docti mihi animos videntur non satis intendisse. Nemo enim, in quo juris civilis Romani vel mediocris scientia est, ignorat, quid in eo certae formulae valuerint, quas si quis sive per inscitiam sive per dolum neglexerat, causa cadere cogebatur. Neque vero dubitari potest, quin eodem modo comparatum fuerit jus augurale, ut multa et varia praecepta contineret — nobis sane maximam partem non nota — quibus de unaquaque re sacerdotali cautum erat et praescriptum, ut, si vel levissima pars laesa esset, nefas haberetur. Quae cum ita se habeant, veri simillimum mihi est, auguralia fuisse praescripta ad actionem illam de coelo servandi de qua disserimus pertinentia eaque non minus accurate definita quam quae de tabernaculo capiendi aliisque rebus auguralibus usu recepta esse perspectum habemus. (Cf. Ind. lect. Un. Vratisl. 1840 p. 10. Ambrosch de sacris Roman. libris.) Quae qualia fuerint, quum scriptores memoriae non prodiderint, vix conjectura assequaris. Sed id tantum significatum volui, si quis de coelo se servaturum esse magistratus nuntiaret, id fieri vix potuisse nisi certis quibusdam (fortasse jurisjurandi) formulis adhibitis nec vero ad magistratus arbitrium aut quolibet tempore, sed haud scio an jure augurali cautum fuerit, intra quos dies fas esset, tale quid nuntiare, quod comitiis moram faceret. Haec autem quam modo proposui opinio non solum eo nititur, quod definitionum subtilitas omnino juris Romani propria est, sed, nisi prorsus fallor, ipsius reipublicae natura probatur, quae quomodo administrari potuerit, obnuntiandi jure nullos intra fines coacto, non intelligo. Accedit, quod rei propositae vestigium quoddam in loco Cicero-

niano (Phil. II. 32) mihi deprehendisse videor. Irridens Cicero Antonium, quippe qui multo ante comitia habenda dixerit, se ea auspiciis prohibitorum esse, haec verba adjicit jam supra notata: Quisquamne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de coelo servare constituit? Antonius id non fecerat, ut ex iis quae sequuntur satis apparet: **neque enim te de coelo servare dixisti neque hodie dicis.** (Phil. II. 33. Cf. Rubino l. l. p. 74. 276 n. 4.) Itaque equidem conjiciam, rem hanc fuisse. Quum nihil antiquius haberet Antonius quam ut comitia turbaret, quomodo id perficeret, cogitanti **auspicia** in mentem venerunt. **Auspiciorum** beneficio interdum comitia turbari cognitum quidem habebat, sed qua ratione fieri soleret, minime intelligebat. Nam jus augurale quam non cognoverit, recte inde colligimus, quod quid inter magistratus spectionem et auguris nuntiationem interesset, ignoravit eamque ob inscitiam ab adversario, viro juris auguralis peritissimo, summa cum acerbitate reprehensus est. Phil. II. 32. 38. (Grosser de spect. et nunt. pag. 15). Itaque haud dubie neglexerat, certo die certis verbis praenuntiare, se de coelo servaturum esse, qua nuntiatione sola, ne comitia indicerentur, potuit impedire. Neque quod praetermiserat, tum demum corrigere fas erat, quia, ut supra demonstravi, non **habitis comitiis**, sed **priusquam** haberentur, magistratus debebat nuntiare.

Sed jam de legibus **Aelia et Fufia** disputandum erit. Quae quidem leges, ut alia hujus generis, tam crassis occultatae et circumfusae tenebris latent, ut quamvis omnes scriptorum locos diligenter contulerim, tamen lucem afferre iis quae obscura sunt non plane contigerit. Attamen ut vera potius quam dictu speciosa quaerantur, operae pretium videtur esse, conjecturarum ambagibus missis, quid certi his de rebus nobis traditum sit, aperte significare, quid incerti et obscuri, libere profiteri.

Ac primum quidem illa quaestio mihi videtur facillima ad dijudicandum, utrum duae leges fuerint, an una. Sane qui vulgo commemorantur loci Ciceroniani, quibus his verbis leges nominantur: lex Aelia et Fufia — sunt autem hi loci: Cic. in Vat. IX. 23. Aeliam et Fufiam. ibid. XV. 37 post red. in sen. V. 11. in Pison. IV. 9. V. 10. de harusp. responsis. XXVII. 58. ad Att. I, 16 §. 13. Ascon. in Pison. p. 9. — hi loci minime impediunt, quominus de una a duobus lata lege Ciceronem loqui statuamus. Nam sive illam legem



respicimus, quam Q. Caecilius Metellus et T. Didius consules de modo legum promulgandarum a. u. c. 655 tulerunt, sive illam, quam a Licinio Murena et Junio Silano a. u. c. 691 rogatam scimus, nos fugere non potest, vel earum legum quas duo de eadem re conjunctim, tulerunt prorsus iisdem verbis mentionem fieri, quibus legis Aeliae et Fufiae, particula „et“ inter legis notionem interposita. Cf. Cic. ad Att. II 9. Phil. V, 3. 8. in Vat. 14. 33. Uno quidem loco (pro Sext. 64 §. 135) vulgo legitur: Caeciliam Didiam, Liciniam Juniam contempsit, sed Orellius (Ind. leg. p. 145) adnotat: malim legere cum Lambino Caeciliam et Didiam, Liciniam et Juniam, collatis ceteris de his legibus Ciceronis locis et Scholiasta Bobiensi. Sed ut nihilo minus statuam, aliam fuisse legum Aeliae et Fufiae rationem, his potissimum locis perducor. Cic. in Vat. II, 5. num legem aliquam contra auspicia tulerit, num Aeliam, num Fufiam legem neglexerit. ibid. VII. 18. num quem ex omnibus tribus plebis, quicumque seditiosi fuerint, tam audacem audieris fuisse, ut unquam contra legem Aeliam aut Fufiam concilium advocaret? de prov. cons. 19. 46. legem Aeliam manere, legem Fufiam non esse abrogatam. pro Sext. XV. 33. ut lex Aelia, lex Fufia ne valeret. Accedit, quod Cicero tribus locis utramque legem separatim nominat, Aeliam pr. Sext. 53 §. 114. Ep. ad Att. II. 9. Fufiam ibid. IV. 16.

Hactenus res mihi videtur in aperto esse. Sed qui viri quove tempore leges tulerint, quaerentibus caligo obtunditur. Unum quod sequi possimus vestigium apparet in loco orationis Pisonianae (V. 10.) **Centum prope annos** legem Aeliam et Fufiam tenueramus, quas leges ausus est nonnemo improbus, potuit quidem nemo convellere. Quam orationem quum Cicero habuerit a. u. c. 696, id unum satis constat, non ante annum 596 has leges latas esse. Quum enim Ciceronis interesset, legum vetustatem illustrare, annorum numerum haud dubie non minuit — id quod in re omnibus nota ne fieri quidem potuit — itaque nemo non videt, centum annorum numerum, tum quum Cicero habuit orationem, nondum fuisse expletum. Qua de causa mihi quoque non probatur eorum opinio, qui de Q. Aelio Pacto cogitant, quem anno u. c. 586 cum M. Junio Penno consulem fuisse ex fastis consularibus cognoscimus. Cf. Ferrat. epist. Venet. 1738. III. 1. — Fufii vero consulis nomen quum ante Ciceronis tempora nusquam occurrat, neutrum eorum, qui leges rogaverunt, consulem

fuisse, suo jure affirmant viri docti. Sed quum Pighii conjecturam amplexi, quae etiam Ferratio placuit (l. l. p. 144) anno u. c. 597. L. Cornelio Lentulo Lupo et C. Mario Figulo II. coss. a. Q. Aelio Paeto et M. Fufio tribunis plebis una latas esse volunt, videntur incerti aliquid pro certo habere. Cf. Becker-Marquardt l. l. p. 87 not. 327.

Itaque si solis scriptorum testimoniis niti volemus, nos eo contentos esse oportebit, quod Ciceronis verbis quae supra attulimus dilucide continetur, leges anno fere sexcentesimo urbis conditae rogatas esse. Legimus etiam aliam apud Ciceronem sed non magis definitam temporis descriptionem: qui sanctissimas leges, Aeliam et Fufiam, quae in **Gracchorum ferocitate** et in audacia Saturnini et in colluvione Drusi et in contentione Sulpicii et in cruore Cinnano, etiam inter Sullana arma vixerunt, solus conculearis ac pro nihilo putaris. (in Vatin. IX. § 23.)

Quod igitur pro certo potest affirmari, his terminis continetur, leges neque ante annum u. c. 596 latas neque post annum 620, quo anno T. Sempronius Gracchus tulit, ne quis ex publico agro plus quam quingenta jugera possideret. (Liv. Epit. 88.) Neque vero hoc a veritate multum recedet, licet nusquam aperte indicatum [sit, legem Aeliam paullo ante legem Fufiam rogatam esse. Nam excepto uno loco (Ascon. in Pison. 9. legem Fufiam et Aeliam — eversa esse) **ubique** legis Aeliae ante alteram mentio fit. Qua in enumeratione temporis rationem habitam esse, cui non sit probabile? Neque ego primus hoc vidi, sed Ferratius l. l. pag. 141. jam suspicatus est, probavit Marquardtius. (l. l. p. 87.) In eo tamen illi viri docti erraverunt, quod sine ulla exceptione legem Aeliam priore loco nominari affirmant.

Quid vero leges continerint, multum abest, ut certo sciamus. Quoties Cicero in P. Clodium invehitur — quod quidem ille facit saepissime — toties incredibili illius scelere sanctissimas leges Aeliam et Fufiam e republica sublatas esse conqueritur. Sed hoc in universum: rem ipsam magis attingunt hi loci. Cic. post. red. in sen. V. §. 11. **legem tribunus plebis tulit, ne auspiciis obtemperaretur, ne obnuntiare concilio aut comitiis, ne legi intercedere liceret: ut lex Aelia et Fufia ne valerent, quae nostri majores certissima subsidia reipublicae contra tribunicios furores esse voluerunt.** Idem pro Sextio XV, 33 **hisdem con-**

sulibus sedentibus atque inspectantibus lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet: ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret, ut lex Aelia, lex Fufia ne valeret, qua una rogatione quis est qui non intelligat, rempublicam esse deletam? de prov. consul. 19. Aut vobis statuendum est, legem Aeliam manere, legem Fufiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere, cum lex feratur, de coelo servari, obnuntiari, intercedi licere e. q. s. Videtur igitur lege Aelia omnibus magistratibus jus et potestas non data quidem, sed confirmata esse, diebus comitialibus de coelo servandi, deinde obnuntiandi et intercedendi. Nam his verbis „cum lex feratur“, si quid video, Cicero minime id significavit, quod Ernestius argutatur (Orelli Onom. Tull. III p. 129. Ind. leg. sub l. Aelia) legem Aeliam non valuisse nisi in comitiis quae legibus ferendis instituerentur, ubi de magistratibus creandis ageretur, minus licitum fuisse, de coelo servare, sed Ciceronis non intererat, hoc loco id nominatim commemorare.

Obnuntiationem igitur, qua perniciosis legibus resisteretur, lex Aelia confirmaverat (Ascon. in Pis. 9.) Confirmaverat quidem, non instituerat, ut supra jam significavi. Nam quum vix possit dubitari, quin jam antea de coelo servatum et obnuntiatum sit, hae quas dixi leges nullam aliam vim videntur habuisse, nisi ut, quod more majorum receptum erat, lege sanciretur. Utramque vero legem, Aeliam et Fufiam, inter se tam arcto vinculo cohaesisse, ut genere ipso pro una fere eademque lege haberi possit, inde colligo, quod P. Clodius utramque una rogatione simul sustulit. Qua de rogatione Cicero ubi disserit, his verbis utitur (p. Sext. XV. 26) **Mitto eam legem, quae omnia jura religionum, auspiorum, potestatum, omnes leges, quae sunt de jure et tempore legum rogandarum una rogatione delevit.** Extrema verba, quum leges Aeliam et Fufiam spectent, non incredibile est, hic vestigium exstare, quid inter utramque discriminis intercedat. Quum enim, ut supra demonstravi, lex Aelia ubique fere priore loco soleat commemorari, haud scio an verba quae praecedunt, „de jure“ ad legem Aeliam, ea quae sequuntur „de tempore“ ad legem Fufiam sint referenda. Itaque lex Aelia videtur sanxisse, quibus magistratibus quave ratione obnuntiandi jus esset, lex Fufia, nisi fallor, praescripsit, quibus diebus legem ferri aut comitia haberi nefas esset. Quamdiu ea valuit, non omnibus fastis diebus legem ferri licebat.



Cic. p. Sext. XV. 33. de prov. cons. 19. Sed in his ipsis verbis haerent interpretes. Ferratius l. l. coniecit legendum esse festis pro fastis, sed vix cuiquam probabit opinionem. Quum enim festi dies dicati sint iisque insint sacrificia, epulae, ludi, feriae (Macrob. Sat. I., 16.) certe nullo die festo res publicas attingere fas erat. Quo modo igitur Cicero l. l. dicere potuit, dum lex Fufia valeret, non omnibus festis legem ferri licuisse, quum nullo festo die licuerit? Itaque Ferratius, ut eum quem vellet sensum depromeret, non tantum unum verbum, sed totum locum mutare debuit. Nam cum statuit, servare de coelo esse declarare, diem illum esse festum (l. l. p. 148.) vult, legis Fufiae vim eam fuisse, ut juberet, haberi ut festos dies eos quibus servatum esset de coelo eoque modo comitia prohibuisse. Sed has magistratum formulas ferias indicendi et obnuntiationem praenuntiandi vi et effectu quidem pares, tamen non prorsus easdem fuisse, jam Marquardtius demonstravit l. l. p. 82 not. 307—308.

Sed tempus est, ad Ciceronem redire. Dies fastos interpretor comitiales esse. Quamquam huic rationi quid repugnet, haud ignoro. Macrobius enim loco quem supra attuli haec habet: Fasti sunt, quibus licet fari praetori tria verba sollemnia deo dico dedico. His contrarii sunt nefasti. Comitiales sunt, quibus cum populo agi licet. Et fastis quidem lege agi potest, cum populo non potest, comitialibus utrumque potest. Similiter Varro de ling. lat. VI. 53. Hinc fasti dies, quibus verba certa legitima sine piaculo praetoribus licet fari. Neque equidem negaverim, hanc verbi „fastus“ primam ac propriam significationem fuisse, sed quomodo dies nefasti significatio, principio diei fasto pure opposita, postea multo latius patuit, ut omnes dies tristi omine infames (religiosos) completeretur (Gell. N. A. IV. 9) ita non minus verisimile est, fastos dies, latiore significatione si verbum accipimus, omne genus dierum comprehendisse quo res publicas attingere licebat, et comitiales et eos quos proprie fastos vocabant. Cf. Marquardt l. l. p. 63. Quibus de causis mihi persuadeo, Ciceronem de diebus comitialibus loqui, quibus legem ferri tum non licebat, quum de coelo esset servatum. Haec igitur mea sententia est, lege Aelia et Fufia magistratus vetitos esse, agere cum populo iis diebus comitialibus qui obnuntiationibus tollebantur. Sed haec communiter dicta sunt: proprie autem quid utraque lex praescripserit,

haud facile quispiam conjecerit. Quum vero tribuni plebis non raro earum legum beneficio utantur, multo saepius eas impugnent, mihi prorsus probatur, quod jam Marquardtius conjecit (l. l. p. 87.) obnuntiandi jus quo antea nulla nisi comitia centuriata tenebantur, his demum legibus ad ea comitia translata esse, quae antiquis temporibus iuris auguralis vinculis plane soluta fuerant, tum auspiciis minoribus habita sunt, ad comitia tributa. Itaque licet tribuni plebis vel ipsi, ne comitia consularia haberentur, obnuntiando impedire possent, veluti Milo tribunus plebis Metello consuli obnuntiavit (Cic. Att. IV. 3) Sextius Metello (p. Sext. 38, 83) aliisque alii, tamen hae leges tribunis plebis comitiisque tributis inimiciores quam gratiores videntur fuisse. Etenim comitia consularia, praetoria quum tribuni plebis iam antea per intercessionem turbare potuissent, his legibus non modo nihil profecerunt, sed aliquantum potestatis amiserunt, quippe qui non iam plane ad arbitrium suum quas vellent leges perferre possent, sed interdum obnuntiationibus vel augurum vel magistratum comprimerentur. Quum enim per legem Hortensiam (a. u. c. 466) omnia cecidissent, quibus antea, ne seditiosae leges ferrentur, cautum erat, id unum optimatibus reliquum erat, quo tribunis resisterent. Quo nomine Cicero permultis locis has leges laudat, quae saepenumero tribunicios furores debilitaverint et represserint eamque ob rem certissima reipublicae subsidia, propugnacula murique tranquillitatis et otii fuerint. Cic. in Vat. VII., 17. p. red. in sen. V. II. Asc. in Pis. 9. Sed equidem facere non possum, quin mihi persuadeam, has leges nisi prisca fide minuta in consuetudinem venire non potuisse, propterea quod veri simillimum est, magistratus nobiles, ut tribunis resisterent, saepe impudentissime ementitos esse, sibi vitii quid apparuisse, quod non apparuerat. Id ipse Cicero quodammodo confitetur his locis:

**comitiorum quotidie singuli dies tolluntur obnuntiationibus magna voluntate bonorum omnium: tanta invidia sunt consules propter suspicionem pactorum a candidatis praemiorum.** (ad Quint. fr. III. 3). Omnibus magistratibus auspicia et judicia dantur: judicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur: auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent morae, saepe enim populi impetum injustum auspiciis dii immortales represserunt. de legg. III, 12. Quamobrem prorsus assentior Rubinoni (l. l. p. 81). Es ist bemerkenswerth, dass die bedeutenden Hindernisse, welche sich aus dem servare de coelo für politische Ver-

handlungen ergeben mussten, erst am Ende der Republik, hier aber in so zahlreichen Beispielen hervortreten, dass sie beinah den Gang der Staatsgeschäfte ins Stocken zu bringen drohten. Dies beweist nicht, dass früher andre Grundsätze herrschend waren, sondern dass man erst damals mit offener Stirn religiöse Institute zu blossen Chicanen benutzte.

Atque his ut vinculis liberarentur, tribuni plebis diu frustra contenderunt. Nam in Gracchorum ferocitate et in audacia Saturnini et in colluvione Drusi et in cruore Cinnano has leges vixisse vidimus. Denique P. Clodius tribunus plebis a. u. c. 696 L. Calpurnio Pisone et A. Gabinio coss. legem pertulit, ne quis per eos dies, quibus cum populo ageretur, de coelo servaret. Quod cur rogaverit, Dio exposuit (38, 13) *φοβηθεὶς δὲ ὁ Κλώδιος, μὴ γραψαμένου αὐτοῦ τὸν Κικέρωνα ἀναβολὴν τινεὶς ἐκ τοῦ τοιοῦτου καὶ τριβὴν ἐμποιήσωσιν ἐξήνεγκε, μηδένα τῶν ἀρχόντων ἐν ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς ψηφισασθαι τι τὸν δῆμον ἀναγκαῖον εἶη, τὰ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ γινόμενα παρατηρεῖν*. Itaque Cicero hanc legem a P. Clodio mehercule non propter religionum sanctitatem, sed ad seditiones contra optimates excitandas latam saepenumero acerrime reprehendit. Iisdem consulibus sedentibus atque inspectantibus, inquit, lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet, ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret, ut lex Aelia, lex Fufia ne valerent. **Qua una rogatione quis est qui non intelligat, rempublicam esse deletam?** Cic. p. Sext. XV. XVII. XXVI. Cf. in Vat. VI, 14, VII, 18. in Pis. 4, d. prov. cons. 19. p. domo XV. 39. Hac igitur lege Clodia — quae quidem videtur interdum non esse observata, certe paullo post magistratus et de coelo servare et inter sese obnuntiare videmus. Cic. ad Att. IV. 3. Marq. l. l. p. 83 — omnis obnuntiatio, quam lex Aelia confirmaverat, erat sublata neque jam auspicioꝝ auctoritas, sed tribunorum licentia in republica gerenda maxima erat. **Itaque una cum nobilitatis majestate collegii auctoritas, quatenus ad civitatem administrandam pertinuit, debilitata et eversa recte potest videri.**

Jam vero in eum locum deducta est oratio nostra, ut de jure augurali sub finem liberae civitatis ad interitum et ruinam vergente disputandum sit. Forsitan quispiam dixerit, collegii auctoritatem etiam Ciceronis tempore summam et fere mirabilem fuisse. Nam Cicero



de auguribus, quo in numero ipse erat, loco notissimo (de legg. II. 12) non sine jactatione quadam praedicat, nihil gravius esse, nihil magnificentius, nihil religiosius quam id ipsum collegium. At ille de iure tantum loquitur: qualis suo tempore augurum auctoritas fuerit, non exposnit. Primum enim ipsa disciplina auguralis, qua antea gravitate et ubertate floruerat, non jam retenta et servata est. Sic ut statuum, adducor his ab ipso Cicerone locis petitis. Cic. de legg. II. 13. Dubium non est, quin haec disciplina et ars augurum evanuerit jam et vetustate et negligentia. Itaque neque illi assentior, qui hanc scientiam negat unquam in nostro collegio fuisse neque illi, qui etiam nunc putat. de nat. de or. II. 3 negligentia nobilitatis augurii disciplina omissa, veritas auspicioꝝ spreta est, species tantum retenta. Id. de div. I, 15 multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, negligentia collegii amissa plane et deserta sunt. ibid. c, 47. difficultas laborum discendi disertam negligentiam reddidit. Malunt enim disserere, nihil esse in auspiciis, quam quid sit, ediscere. Quod quomodo intelligi oporteat, ex paucis quibusdam juris auguralis partibus demonstrabo. Antiquis temporibus magistratus, quum auspiciari volebant, augurem adhibebant, qui, num silentium esse videretur, sibi denuntiaret, Ciceronis tempore parum curantes, num augur esset et peritus necne, quemlibet adsciverunt. Neque jam ipsi more majorum auspiciabantur, sed pullario, quidquid renuntiabat, credebant (de div. II. 34. 35). Tum nec amnes transire auspiciato nec tripudio auspiciari solebant (Cic. de div. II. 36. Festus s. v. „peremne.“ Serv. ad Aen IX. 24.) nulla ex acuminibus servata, nulli viri vocati sunt, ex quo testamenta in procinctu perierunt (O. Mueller die Etrusker II. p. 116.) Qua vero incuria illo tempore magistratus, priusquam munus publicum occiperent, auspicia captaverint, Dionysius Halicarnassensis docet (Ant. Rom. II. 6) *πέπνται ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις (sc. τὸ περὶ τοὺς οἰωνισμοὺς νόμιμον.) πλὴν οἶον εἰκὼν τις αὐτοῦ λείπεται, τῆς ὁσίας ταύτης ἕνεκα γενομένη. ἐπανλίσσονται μὲν γὰρ οἱ τὰς ἀρχὰς μέλλοντες λαμβάνειν καὶ περὶ τὸν ὄρθρον ἀνιστάμενοι ποιοῦνται τινὰς εὐχὰς ὑπαλθροῖοι. τῶν δὲ παρόντων τινὲς δρηθοσκόπων μισθὸν ἐκ τοῦ δημοσίου φερόμενοι ἀστραπὴν αὐτοῖς μηγέειν φασὶν ἐκ τῶν ἀριστερῶν τῆν οὐ γενομένην. οἱ δὲ τὸν ἐκ τῆς φωνῆς οἰωνὸν λαβόντες ἀπέρχονται ταύτας παραληφόμενοι. οἱ μὲν αὐτὸ τοῦθ' ἰκανὸν ὑπολαμβάνοντες εἶναι, τὸ μηδένα γενέσθαι τῶν ἐναντιουμένων τε*

καὶ κωλύοντων οἰωνῶν. οἱ δὲ καὶ παρὰ τὸ βούλημα τοῦ Θεοῦ κωλύοντος. ἔστι δ' ὅτε βιαζόμενοι καὶ τὰς ἀρχὰς ἀρπάζοντες μᾶλλον ἢ λαμβάνοντες. Sed, quod his multo gravius est, ea quae in bellis gerendis antea summa fuerat auspicioꝝ vis tum fere prorsus evanuit. Maximae reipublicae partes, ut ait Cicero, (nat. deor. II. 3) in his bella, quibus reipublicae salus continetur, nullis auspiciis administrantur. Tum bella gerere nostri duces incipiunt, quum auspicia posuerunt. Bellicam rem — ita queritur alio loco idem Cicero (de div. II. 36.) — administrari majores nostri nisi auspiciato noluerunt. Quam multi anni sunt, cum bella a proconsulibus et propraetoribus administrantur? qui auspicia non habent. Ad reliquas res, quae domi geri solebant, retenta quidem collegii auctoritas propter opinionem vulgi nec sine magnis reipublicae utilitatibus, siquidem Ciceroni fidem habemus, sed quum sensim summa potestas a partibus sive optimatium sive popularium ad singulos viros praepotentes transire coepisset, magis magisque deorum nomine intercedendi augures potestatem amiserunt. Praeterea quum saepissime ea quae legibus sancta aut more majorum usitata erant ab iis qui rerum potiti erant impune spernerentur neque raro augures ipsi id vitium committerent, fieri non potuit, quin contra principum potentiam non multum proficerent. Inprimis si quando rem gravioꝝ cum institutis patriis repugnantem non impedierant iidemque levioꝝ fieri vetabant, non poterant non illudi: veluti quum dictatorem contra omnia jura et leges per totum annum imperium tenere passi essent iique decernerent, magistrum equitum ultra sex menses manere nefas esse, quis est, qui risum illos movisse miretur? (Dio 42. 21.) Quid plura? Veteris disciplinae auguralis collegiique majestatis antiquae nihil jam supererat nisi inanis forma et species: potentissimus quisque ex suo arbitrio rempublicam administrabat. Quum autem propter multitudinis superstitiosae opinionem auspicia prorsus abjicere non auderent, ea impudentissime ementiri non erubescabant. Quo factum est, ut quae diligentissime servata in omnibus rebus agendis olim plurimum valuerant auspicia adeo corrumperentur, ut ad immoꝝicam et miseram ambitionem honesta praescriptione tegendam a potentissimo quoque sine ulla verecundia adhiberentur (Lucan. Phars. V. 393.)

Postremo Octavianus imperator factus cum aliis sacerdotiis etiam auguratus dignitatem restituere conatus pristinae tamen majestatis umbram tantum efficere potuit (Suet. Aug. 92.

93.) Etenim praeter alias causas jam eam ipsam ob rem, quod respublica ita mutata erat, ut ab uno omnia penderent, fieri nullo modo poterat, ut illa dignitas quam in libera civitate collegium habuerat revocaretur. Neque usquam, quum primum homines ab antiqua pietate defecerunt, ea quae desueta et obsoleta sunt, vere reparare cuiquam contigit. Itaque augurum decretis obtemperaverunt quidem, sed inviti neque quidquam non tentaverunt, ut, si fieri posset, iis se subtraherent. Nam a. u. c. 740 aediles curules vitio creati abdicaverunt quidem magistratu, sed contra leges aliis in comitiis eundem receperunt. Cf. Dio 52, 36. 53, 1. 54, 24. Unde recte colligitur, etiam posteris temporibus — augurum collegium cum pontificibus aliisque sacerdotibus trecentos fere annos post Christum natum permansit (Arnob. adv. gent. IV. 35. Mascow de jure ausp. Cap. VI p. 55 seqq.) simulacrum quasi et speciem auspicioꝝ retenta esse, rem ipsam magis magisque concidisse.





18) Die in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 19) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 20) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 21) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 22) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 23) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 24) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 25) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 26) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 27) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 28) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 29) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 30) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der

**Allgemeine Beschreibung**



Erhalten bei Dittler

1) Die in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 2) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 3) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 4) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 5) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 6) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 7) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 8) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 9) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 10) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 11) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 12) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 13) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 14) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 15) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 16) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 17) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 18) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 19) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der  
 20) Hinsicht der in dieser Hinsicht schon im Jahr 1804 in der